

De Galeno et Plutarcho.

Nuper de Galeno et Plutarcho protulit O. Crusius (Mus. Rhen. XL 581—606) quae paucis refellantur. contendit enim Galeni ad artes cohortationem quae exstat genuinam esse, fluxisse e libello quodam Menodoti Sceptici, partem fuisse cohortationis ad medicinam scriptae quae periret; versus in illa deprensos partimque recensitos e carmine Plutarchi sumptos esse quod perierit, cuius titulus isque falsus in catalogo Lampriae q. d. tradatur hic περὶ Ζύμων ἀλόγων ποιητικός; deinde exponit cum de arte et fortuna verba facientem Plutarchum tum in libro de liberis educandis scripto imitationis praebuisse facultatem Galeno atque in fragmento quodam se ipsum respexisse; addit denique et Galenum et Plutarchum talibus usos esse fabulis qualibus Phaedrum. inverso fere ordine haec perlustremus.

1. Plutarchum inter et Phaedrum insignem intercedere cognationem egregie demonstravit Crusius. auctor cohortationis ad artes si nihil aut cum ipso Phaedro aut cum auctore fabulae additae habet commune nisi Fortunae nomen animaliaque a Cruso obliquis litteris designata, certe huiusmodi fabulas ignoravit (cf. p. 603, 1). licet noverit: quid inde lucramur sententias versusque ipsius Plutarchi suum in usum vertisse Galenum probatur? immo periculum fit tali ratione ne communes fontes detegantur!

2. Disserit Crusius summa cum cautione (id quod ego quidem prorsus non intellego) semel Plutarchum se ipsum citare adfertque versum notissimum talem

_ _ _ _ ἐλέφαντας ὑπὸ δρυμὸν εὗλε ποδάγρᾳ,
Galenus autem in carmine a Plutarcho confecto, si eundem audis,
hos repperit versus:

ἀλλ' οὐ μήν ποτε τῶν τις ἀφ' Ἡρακλέους ἐλέφαντος
ἰσχύν ἦτε λέοντος ὑπέρτερος οὐ κε φανείη.
itaque stricte evincitur Plutarchum horum versuum in illo frag-
mento non meminisse. ceterum ne gladiatores quidem, quippe qui

ab Hercule nomen sumerent, Crusio in mentem revocare debebat iocus Plutarchi dicentis Herculem debuisse astronomiae dare operam.

3. Ars et Fortuna a poetis scriptoribusque pedestribus depictae nauseam movent, nihil docent. non ignorabat Plutarchus homines equis esse lentiores, elephantis minores, plurimis feris debiliores, praestare animi virtutibus: at quis terrarum hoc nesciit? — elephanti tauri leones etiam in libello de educatione liberorum scripto opponuntur hominibus (ut in fabula Phaedro neque adsignanda neque adsignata): mira me hercle res dignaque quae proprio opere diligenter pertractetur. at hoc moneo: libellum istum non esse scriptum a Plutarcho non magis Wytenbach quam Benseler Schellens Fuhr demonstraverunt; actam esse causam etiam tirones clament.

4. Περὶ ζώων ἀλόγων ποιητικός sc. λόγος erat dissertatione, non carmen. an consolationes admonitiones dissertationes physicae morales dialecticae non a rebus tractatis sed a sermone formaque nomen logorum accipiunt? numquam Plutarchus ad poetas se contulit. ne id quidem constat, num genuinus sit ille titulus 127. sit vero: in libello isto actum est de animalibus ratione parentibus, non de hominibus una virtute atque vi animi divina inter cetera animalia praestantibus. licet genuinus fuerit liber, depravatus titulus: num quicquam inde cognosci potest?

5. Cohortationem ad artes e scriiniis prodiisse Galeni contendit Crusius cum Ackermanno, negaverunt olim C. Hofmann posteaque Kuehn, neutri ad unguem rem perfecerunt. procul dubio erravit Ackermann, cui hic Γαλήνου παραφράστοῦ τοῦ Μηνοδότου προτρεπτικός λόγος ἐπὶ τάς τέχνας idem videbatur esse liber atque ille deperditus cuius titulus προτρεπτικός ἐπὶ ιατρικήν ab ipso Galeno refertur. medicina artium una est. potest igitur cohortatio deperdita pars nostrae fuisse, sed non est. potest haec quasi prooemium propriae dissertationis fuisse, id quod contendit Crusius: atque hac in re fortasse verum vidit. nam non solum ad calcem libelli auctor ille pollicetur optimam artem medicinam esse deinceps se fore probaturum, sed etiam initio artes enumerans primam nominat Aesculapii artem, etiam si hoc quidem loco philosophiae primitias dare pericitur. puto igitur ex orationibus in schola habitis una cum cohortatione ad medicinam prodiisse illam ad cunctas artes quae exstat. neque sermo huius obstat: cohortationes enim sive coram discipulis pronuntiatae sive intra parietes scriptae poetarum colores floresque et libertatem enuntiandi poscent, non excusant.

Tamen stat una offensio, quam tollere conatus Crusius ridicula protulit. enucleavit enim Menodoti philosophi sceptici libellum ad conscribendam cohortationem adhibitum esse a Galeno ideoque etiam scepticae vestigia philosophiae detegere frustra studuit. mira adtulit exempla. an vere sceptici sunt ii, qui aliquid pro incerto ducant aut priusquam iudicent rem reputent? (cf. p. 584, 3 ἄδηλον et προδιασκέπτεσθαι). immo ego Crusium ad Stoicos relego, qui

statim initio cohortationis λόγον προφορικόν atque ἐνδιάθετον aliaque Galeno suppeditarunt. — quaeris, num origo vix confirmata libelli hac observatione prorsus infirmetur? patet a grammatico quodam fictum esse titulum Γαλήνου παραφραστοῦ τοῦ Μηνοδότου πρ. λ. ἐπὶ τὰς τέχνας eumque inventum secundum libros a Galeno ipso enumeratos. qui ὑπομνήματα γ' εἰς τὸ Μηνοδότου Σεβήρω, προτρεπτικὸς ἐπὶ ιατρικήν referens diversa volumina enotavit. dubitasne? illa tria in honorem Severi edidit, ad quem alia quoque de Menodoto volumina scripsit undecim, in cohortationis parte adhuc servata pueros adloquitur, quos artem aliquam selectam exercere oporteat (c. 14 a. c., cf. Crusius p. 584, 5).

Galenus igitur cohortationem ad medicinam componens, cuius partem tantum priorem nos in manibus habere veri est simile, neque Menodoti dissertatione neque Plutarchi carmine usus est; a quo sumpserit illos versus et iambicos et dactylicos, nemo adhuc demonstravit.

Berolini.

A. Gercke.